

« nobis auxilium operum bonorum vestrorum, id est, intercedit pro nobis peccatoribus ad Dominum; » a quibus tamen repulsam hisce verbis patientur: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis; »* ostendit in his verbis, quod ita terribile futurum erit iudicium illud, ut nulla innocentia sibi confidat. S. Gregorii de severitate, qua cum Index quoad perfectissimos sanctissimosque viros processurus erit, tractantis, lib. III mor., xv, sententia est: « Perituros se absque ambiguitate sciunt, si remota pietate iudicentur, hoc ipsum quod juste videtur vivere, culpa est, si vitam nostram, cum iudicat hanc, apud se divina misericordia non excusat. » S. Augustinus tantopere a Deo illuminatus, quae post conversionem suam, innocentiam baptisimalem ad ultimum usque vitae spiritum conservavit, in suis tamen meditationibus ita scribit, *Medit., c. iv*: « Tot iudiciis inops astabo, quot me processerunt in opere bono, tot argumentis confundar, quot mihi praebuerunt bene a vivendi exempla; tot convincat testibus, quot me monnerunt sermonibus et actionibus. »

Adiciones.

a. — *Arescentibus hominibus praetimore et expectatione, etc.* Quenam est haec tam acerba calamitas in terris, quae sic dure homines terreat, ut ejus horrore paveant, arescant, tabescant? Frustra videntur interpretes querere causas tam ingentis pavoris, cum in promptu adsint tot, tauteque quae possent metum incutere potentissime. Cajetanus in Commentario sic scribit: « *Arescentibus hominibus praetimore*: in intellectu perplexitas, in affectu timor. » In illa namque iudicii expectatione horribili, elementa timenda concussione colliduntur, e caelo tot prodigia territant impios, vultu Iudicis expavescent, mox fulminanda sententia in ipsos carnificatur, jamjam hiante gehenna devovendi. Ipse etiam peccator dudum ante infligendum supplicium, adversum seipsum dure saevit, timoris cruciata, dolorum et afflictionum internarum tormento, propriae conscientiae remorsu, quae omnia peccatum in anima impii crudeliter exercet. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus, dicit Isaias, LVII, 20*. S. Antonius de Pad. addit: « Cor impii quasi mare fervens, timet superbia, fervet luxuria, et sic fluctus malarum cogitationum redundant in concupiscentiam et lutum. » Psalmus XIII ab his verbis incipit: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Mox vero longum seclerum catalogum contextit ab hoc atheista derivantium; nullisque enarratis, tandem subjungit: Contritio et infelicitas in viis eorum et etiam pacis non cognoverunt. Cujus hanc rationem reddit, quia non est timor Dei ante oculos eorum. Idem regius Propheta, in psalmo XXXVII, in quo sumum adulteri peccatum commemorat, expresse*

fateatur, inquit: *Sagittae tuae infixae sunt mihi; non est similis in carne mea a facie irae tuae; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

b. — Idonee ante finale iudicium, et boni et mali tanto metu concutuntur: peccatores ut respiciant, boni vero, ne in peccaminosam vitam degenerent. Nam penalissimus supplicii et divinae irae horror, velut necessitas emendationis est, et in timoris schola virtutis magister. Quemadmodum enim quaedam hostilia detorta ut corrigamus, adurimus et adactis cuneis non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus, sic ingenia vitio prava, dolore corporis animique corrigimus. Durities domanda est et non leviter ad flexibilem congrue molliem attrahenda. Et « sicut vulnera corporum sanantur difficilia et intractabilia, » ut inquit S. Cyrillus Alexandrinus, in cap. II, Osee, « nisi medicamentorum virtuti cedentia, mutationem ad sanitatem admittant, aut ferro secantur, peritia medicorum hunc auxilii modum sadentem, aut certe igne vincuntur: ita et hominis anima ad deficientium a probitate, perquam prona, nisi vocibus admonitionum locum reliquerit, et a turpitudine ad honestatem transire insitnerit, poenis vincitur et supplicii laqueis implicata, veli, noli, converti- » tur. » Scilicet interminati durius supplicii incensus horror, poenarum laqueis, ac compedibus sic improbos implicat, ut velint nolint, ad virtutem convertat, inelictam diu improbitatem vincat et durus magister probitatem suadat. Horror enim poenae, et recogitatio irae divinae, seu status sui, frenum est, et medium efficax ad deterrendum a peccatis peccatores.

c. — Tabescunt et consumuntur homines praetimore et expectatione iudicii appropinquantis, cum cogitant, quod adest tempus, ut appareant coram Iudicis tribunali et ab ipso iudicentur, eorum facta discutiantur ac examinentur: inde pallescent et maximo timore anguntur. Durissimum est enim ante Iudicem convenire, ut causa ventiletur et sententia proferatur. Sancta mater Ecclesia flebilibus hisce verbis, fidelibus suis horrendissimum extremi iudicii diem in memoriam revocare nititur: *Quantus tremor est futurus, quando Iudex est venturus. Etenim timor et tremor ille indicibilis, inexplicabilis et imperceptibilis erit, omnemque humanam capacitatem et imaginationem superans, viros sanctissimos contremiscere facit. Apud Joëlem, I, 13, de hoc funesto die dicitur: A, a, a, diei; quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente venit. A potente autem dicit ut nullus valeat resistere, » sicut declarat Albertus Magnus.*

d. — Formidandum illud extremum iudicium appropinquante sacro Dominici natalis tempore, non sine divini dispensatione consilii suis fidelibus membris proponit Ecclesia. Ut enim pruden- S. Gregorius Nazian., apud S. Maximum, serm. XXIV,

inquit: « A contemplatione exordium non est ducendum, et in meta quasi in extremo destinandum. Contemplatio enim freno caret, et fortassis praecipitem agat; sed metu primum quasi initiatus, purgatusque, et ut ita dicam attenuatus » ita in sublime erigi incipit. » Quasi Dei timor hominem purget, iniliet, consecret, attenuet, et inde terrena male vacuum in sublime erigat, et cognatum caelo, colique confinem reddat. Frenum est timor qui interminata legis vigore audaciores animos perite cohibet: « Initium salutis humanae, » ait Severus, apud S. Maximum, « est Domini metus, » et omnium bonorum quae in nobis sunt, radix est lex divina. Nec vero divina lex caret metu, sed metus lege. Lex enim ad ea quae praecipuntur, ministro utitur metu; metus autem eorum quae praecipita sunt iudicem habet legem. » Bona lex, quae tanquam iudex ministro utitur metu, et inde bonorum omnium radix. O, alte hominibus haereat Dei metus; ad bonam enim directionem et observantiam divinarum legum, ante omnia necessarium est praedicare Dei timorem.

e. — Veritas huius textus: *Arescentibus hominibus praetimore*, patebit senescente mundo, ante universale illud omnium vivorum et mortuorum iudicium. Sed idipsum jam quoque evenire videmus, omnibus jam per ultimum ex hac vita discussum in particulari iudicio, coram Iudice statuentis, ita ut non tantum videantur evidentissima talis timoris signa in eis quos vitam malam atque perversam duxisse in confesso est, sed etiam in justis ac perfectis. Unde S. Hilariion eremita jam agonizans, dicebat: « Anima mea, septuaginta annis servisti Deo et exire times? » Timent autem ob rigorosum illud examen, quod in morte cujuslibet instituetur. Huiusquam tremenda in illo crit extremo puncto confusio animae, quando innumerabilibus, iisque omnibus a se per multorum annorum decursum admissis iniquitatibus circumdari se videbit? Quia nimirum, ut Ecclesiasticus ait: *In fine hominis denudatio operum illius; et Apostolus ad Corinth. II, illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit conscientia cordium.*

f. — Nam et virtutes eorum movebuntur. Cum juxta Origenem et Augustinum, per virtutes colorum angeli intelligantur, recte quoque moveri dicuntur, nam angeli pariter nobiscum in iudicium sunt venturi, et quidem adversus illos qui nullam ex illorum custodia profectum retulere, in extremo iudicii die testes erunt. Origenes ait: « Venient angeli ad iudicium nobiscum, et stabunt pro nobis ante praesentem iustitiam, ne forte aliquid etiam ex ipsis cause fuit, quod nos deliquimus, » ne forte minus erga nos operis et laboris expenderit, quo nos a peccatorum labe revocarint. » Sed quia dicere possunt beati custodes: *Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei, tes-*

tes erunt interriti boni vel mali quod operatus est quilibet homo in vita sua.

VERSUS 27.

Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate.

Et tunc videbunt.

1. — Dionysius Carthusianus, *Enarr. in Eccl., sacrosanctam Filii Dei humanitatem ab omnibus tam reprobis, quam electis sciendam esse dicit his verbis*: « Christi humanitatem videbunt boni et mali, ejus vero divinitatem soli beati videbunt, » visione beatifica fructuosis. » Id quod innuere videtur celebris ille Zachariae Prophetae textus, xii, 40: *Aspiciet in eum, qui converserunt. Hic autem aspectus reproborum miserias atque tormenta magis magisque adaugebit, cum enim ex Salvatore redemptione minime profecerint, emundem nunc inexorabilem iudicem experiri cogentur: » Quam lugubre erit, » inquit Eusebius Emisenus, *Hon. iv ad Monachos*, « homini Deum videre, et perdere, » et ante prelii sui perdere conspectum. » S. Hieronymus quoque, *ad Helio.*, verbis ad Iudeos directis ita dicit: « Cerne manus, Iudae, quae flexeras: cerne latus, Romane, quod foderas. » Salmeron, *Tract. vii, Art. 40*, loci mysterium considerat, in quo supremi huius Iudicis tribunal figendum esse creditur. Etenim Antichristus in monte Oliveti caelum conscendere tentabit, cui Christus necem inferet, juxta illud Apostoli, II, *Thes.*, II, 8, testimonium, dicentis: *Quem Dominus Jesus interfecit spiritu oris sui, et destruxit illustratione adventus sui. Ubi Salmeron ait: » Opportune ex illo loco Dominus beneficia redemptionis improperebit omnibus reprobis, insultabit enim eis: Ecce Nazareth » in qua pro vobis homo factus sum; ecce Bethlehem, in cujus praesepe natus fui reconditus; ecce templum, in quo frequenter vos docui; ecce Jerusalem, in qua propter vos flagellatus et ad mortem Crucis damnatus fui; ecce montem Calvariae, ubi inter duos latrones pependi; ecce sepulchrum, in quo mortuus jacui, et post mortem surrexi immortalis; ecce mons Oliveti, ex quo antequam caelos ascenderem, discipulos in universum orbem emissi ad praedicandum Evangelium omni creature. »**

2. — Sancta Dei Ecclesia piensissimum hunc morem, ad Evangelii verba, *Verbum caro factum*, genua reverenter flectendi, nec non post facta in Hymno « Te Deum laudamus, » iudicii finalis mentionem, sanguinis a Redemptore nostro pro animarum nostrarum reparatione effusi auxilium devote, his verbis, invocandi: *Iudex crederis esse venturus*: « Te ergo quaesumus, famulis tuis subveni, quos

« pretioso sanguine redemisti, » sanctissime introduxit; at vero nisi ex illo effuso sanguine profecerimus, vulnera Redemptoris pariter et pro illo tempore Judicis, que in ipso apparebunt, et e quibus sanguis ille manavit: nec non et Crucis signum, quod tunc explicabitur, « Hoc signum Crucis erit in « celo, cum Dominus ad judicandum venerit, » nostras miseras mire tunc adaugebunt; unde S. Augustinus, *Lib. de Symb.*, ait: « Ecce hominem « quem crucifixistis, videtis vulnera quae infixistis, « agnoscitis latius quod transfixistis, quoniam per « vos, et propter vos apertum est, nec tamen « intrare voluistis. »

Filium hominis.

3. — Haymo Halbertadiensis, *Hom. in v. Dom. Adv.*, mysterium nobis aperit, cur Christus in iudicio in specie humana sit appariturus, dum ait: « Dignum est, ut ipse Filius Dei, qui in forma ho- « minis injuste iudicatus est, in eadem forma « homines in iudicio justo iudicet. » Salmeron, t. VIII, tr. xii, illa sancti Joannis verba: *Dedit ei potestatem iudicium facere, qui filius hominis est*, exponens ita scribit: « Congruum fuit, et divinae Sapientiae consonum, ut supremus Iudex Deus esset et homo innocentissimus, qui peccatum non fecisset, « nec dolus inventus esset in ore eius; in reliquis « iudicis et tribunalibus, tam sacris, quam profanis, permittit Deus, ut iudicium qui exerecent in alios, sint peccatores, ut conscii suorum infirmitatum mitius, et cum majori mansuetudine et « clementia conjunctum iudicium faciant, leviorumque sententiam ferant, etiam qui iudices sunt « in foro conscientiae; » at vero non sic in isto tribunali et iudicio, utpote a quo omnis pietas, omnisque compassio exulabit. Et S. Augustinus, tr. xix, in *Joan.*, ait: « Forma illa erit Iudex, qua « stetit sub Iudice; illa iudicabit, quae iudicata « est. » Idemmet Salmeron, t. X, tr. xxvi, verba illa sacri textus, quibus de Christo coram Pilato posito agitur, nimirum: « Stetit ergo Jesus ante « Praesidem », exponens dicit: « Jam iudicaturus « noster Iudex Jesus, ut discat qua mansuetudine « debet iudicare vivos et mortuos; ante reus vult « esse, quam Iudex, ut si eo modo nos iudicaverit, « quo ipse iudicatus est, recusare iudicium non « possimus; si autem aequus ac benignus, gratias « simus acturi, quia nos eum impie, crudeliterque « iudicavimus. »

4. — S. Bernardus nihilominus Christum in hominis specie iudicaturum esse scribit, *Serm. lxxiii, in Cant.*, ad majorem demonstrationem benignitatis, solis tamen electis exhibendae: « Vult per hominem « homines iudicari, quo in tanta trepidatione et « perturbatione malorum, electis fiduciam praestet « similitudo naturae. »

Venientem cum potestate magna.

5. — Daniel, vii, 26, iudicariam hanc potestatem in spiritu praevitit, dum ait: *Iudicium sedet, ut auferatur potentia, et conturbetur regnum et potestas, et magnitudo Regni, quae est subter omne caelum, detur populo sanctorum altissimi, cuius regnum, regnum sempiternum est.* Innocentius III de hac potestate scribens ait: « Cum sis potentissimus, manus tuas nemo « potest effugere: cum sis sapientissimus, oculos « tuos nihil potest latere: cum sis iustissimus, « animum tuum nemo potest corrumpere. » Quod si unico dumtaxat obtutu universam terram ex fundamentis potest commovere: *Qui respicit terram, et facit eam tremere*, quanto magis eam contremiscere facit, quando ab eisdem oculis ira, et furoris sui fulmina et fulgura erit evibraturus: verumtamen Augustinus, *Quest. 58, nov. Test.*, optime notat, quod « Quanquam omnia possit Deus, illud tamen « facit, quod congruit rationi. »

6. — Paulus de Palatio illa Joelis verba: *Antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*, exponens, rationem reddit, cur dies iudicii a Spiritu Sancto dies Domini, et dies magnus appelletur: « Vocatur dies iudicii dies Domini, quia ante eum « diem, omnes dies videntur esse nostri, illi enim « peccamus, ludimus et Dei obviscimus, ac si Deus « non esset, et Deus tacet, ac si dies sui non esset: « at tunc qui semper tacuit et siliuit, ut parturitionis « loquetur; erit igitur dies Domini, in quo quantus « ille sit, demonstrabitur. Vocatur ille dies magnus, « quia sicut in eo maxima mirabilia, scilicet confla- « gratio mundi, tabarum sonitus, mortuorum « resurrectio, angelorum cum Christo descensus, « Christi cum omnibus sanctis adventus, iudicium « omnium, supplicium damnatorum, gloria beatorum. » Et Dionysius Carthusianus ait: « Magnus « propter magna divinae iustitiae opera, quae sicut « in eo. »

7. — S. Antonius de Padua in ordine ad potestatem et maiestatem Iudicis distinguit: « Ista potestas », inquit, « erit quoad damnandos, maiestas « quoad salvandos. »

Et maiestate.

8. — Haymo, *Hom. in d. v. Adv.*, ait: « In potestate magna et maiestate eum visuri sunt, qui « humillitate loquentem audire contempserunt. » Tunc vere cognoscent, quod ex solo profunda humilitatis motivo de seipso dixerit, in psalmo xxi, 7: *Ego autem sum vermis et non homo, approbrium hominum et abjectio plebis*, siquidem eum tunc conspiciunt in excelso throno infinita maiestate conspicuum. Daniel, vii, 9, ait: *Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit, thronus eius flammæ ignis, fluvius igneus, rapidusque egrediebatur*

a facie eius, millia millium ministrabant ei, et decies milites centena millia assistebant ei. Non enim sicut in primo adventu venturus erit humilis et in praesepio contemptus. S. Thomas de Villanova ait, *Conc. I in Dom.*: « Non sicut in primo adventu « mitis et humilis, sed potens et fortis; venientem « non in Virginis utero, sed in altissimo solio; non « vagientem in praesepio, sed regnantem in throno, « non iumentis, ut prius, sed angelis comitatum. »

9. — S. Vincentius Ferrerius, *Serm. I in Dom. I Adv.*, caelum in illa die ab Angelis vacuum futurum esse putat, eo quod Redemptori ad iudicium condescendi angeli comitatum praebent: « In illo die « caelum evacuabitur, nulla creatura humana nec « angelica ibi remanebit, quia omnes venient cum « Rege ad iudicium. »

10. — *Sedebit super sedem maiestatis suae*; ita alibi in Evangelio S. Matthaei, xvi, 31, dicitur; ubi Salmeron, t. VII, tr. 40, dicit: « Sedem intellige « nubem, tantae maiestati congruam, et ab Angelis « tanquam ministris sustentatam. » Porro tribunal istud duodecim aliis sedibus circumcingetur, in quibus praeter omnium Angelorum comitatum Apostoli tanquam iudicii illius Assessores confidebant; « Omnes Angeli eius, omnes cum eo, cum assumptis corporibus, » inquit idem Salmeron, « ut « majori terrore sint reprobis. » Enimvero de magifico illo Salomonis Regis throno in lib. II, Paralipomenon, vii, 17, scribitur: *Solum eburneum granite, et vestivit illud auro mundissimo, scabellum aureum, et duos leones stantes iuxta brachiola; omnia in figura contingebant; ecce enim plusquam Salomon hic.* In lib. Reg., III, x, 9, scribitur; quod fuerint *duae manus hinc atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant iuxta manus singulas.* Rupert. Abb. Tuitiensis scribit quod in sensu mystico manus illa, quae a parte sinistra prodire conspiciebatur, iustitiam significat, quae reprobos condemnabit, alia vero manus, quae conspiciebatur ex parte dextera, Dei denotat misericordiam, qua electos in caelum suscipiet. At vero quomobrem tam a parte dextera, quam ex sinistra leos, fera nimirum tremenda et formidabilis conspiciebatur? Numquid convenientius ad manum dexteram, symbolum sortis electorum, mitis, et mansuetus Agnus quidam poni potuisset? Nequaquam inquit praefatus Tuitiensis, quia per hoc quoque severum et rigorosissimum significat examen in illa die instituendum. « Duo « leones iuxta manus singulas, id est, utrobique « fortis ac formidabilis iudicii veritas, nam et a « sinistra omnis iniquus condemnabitur; et a dextera vix iustus salvabitur. »

Additiones.

a. — Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate, Luc., xxi, 27. Ex multis eleuebit ingens Christi maiestas venientis

ad iudicium. Primo, ex praevio ac horrido clangore tubae; secundo, ex praevia Angeli voce vocante ad iudicium. Maxime tamen apparebit maiestas ex praevio igne, de quo Psal. xcvi, 3: *Ignis ante eum praecedet, et inflammabit inimicos eius.* Minatur Deus apud Isaiam, xlii, 14, quod post longam patientiam in tolerandis impiis habitam, tandem aliquando frena laxaturus sit furori suo, iustitiaeque suae vindictivae districtum gladium forlitter sit vibraturus: *Tuavi semper, sibi, patiens fui: sicut parturientis loquar; dissipabo et absorbebo simul.* Iterum Apostolus ad Romanos, ix, 22, dicit: *Sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum*: at vero tandem venit tempus, in quo illa, tanquam vas figuli confringet. Unde S. Thomas de Villanova haec Isaiæ verba ponderans ait: « Omnem indignationem « quam longo tempore praecedentium saeculorum « in reprobos conceperat, tunc effundet in eos. » Filius Dei, de quo Isaias, lvi, 7, dicit: *Quasi Agnus coram tendente se obmutescet, a Joële propheta tanquam leo in ipsamet Jerusalem rugiens, describitur: Dominus de Sion rugiet et de Jerusalem dabit vocem suam, quia in valle Josaphat, sicut parturientis loquetur.* Tametsi Filius Dei in monte Thabor iuxta faciem et quasi jubilans conspiceretur, attamen tres illi Apostoli ibidem praesentes, mox ut vocem illam audierunt: *Hic est Filius noster dilectus, in quo mihi bene complacuit, timentur valde et ceciderunt in faciem suam.* Quisnam ergo pavor ille futurus sit, quem impij concepturi sunt? S. Gregorius, lib. XVII *Mor.*, 21, id quod in horto Gethsemani militibus, Christum capere volentibus, accidit, his verbis considerat: « Priusquam se teneri permitteret, « persecutores suos requisivit dicens: Quem quaeritis? Cui illico responderunt: Jesum Nazarenum. « Quibus cum repente diceret: Ego sum, vocem « solummodo mitissimae responsionis edidit, et « armatos persecutores suos protinus in terram « stravit. Quid ergo factorus est, cum iudicaturus « venerit, qui una voce hostes suos percudit, etiam « cum iudicandus venit? Quis ejus iram toleret « cunus et ipsa non potuit mansuetudo tolerari? » Timuit eum rex Herodes, Magis nuntiantibus, cum adhuc quaererent parvulum. Quid erit tribunal iudicantis, quando superbos reges cunabula terrebant infantis?

b. — S. Job novissimum iudicii diem mente sua versans hanc petitionem proposuit Deo, xiv, 13, dicens: *Quis mihi det ut in inferno protegas me, donec pertransent furor tuus?* Numquid tenebrosam illam abyssum, ignem gehennae, daemonumque societatem levius esse censuit, quam in illa die comparare ante Christum iudicem? Sine dubio haec fuit Jobi sententia. Nec mirum, nam ut D. Chrysostomus ait: « Si « quis est qui sensu ac mente praeditus sit, is certe « gehennae penam tolerare mallet, quam coram « adverso Deo stare. »

e. — Alia profecto nubes futura est illa in qua in secundo adventu, in monte Oliveti comparabit, juxta illud dicitur Angelorum : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum*, ab illa in qua in caelos ascendit, vel etiam ab illa in qua, in monte Sinai visus est comparere. Tunc vere nubes erit quae comminabitur tempestatem : *Eccc Dominus in igne veniet*, dicit Isaias, lxxvi, 13, et quasi turbo quadrigae ejus, reddere in indignatione furorem suum et increpationem suam in flammam ignis, quia in igne Dominus djudicabit et in gladio suo ad omnem carnem.

d. — At vero quaeret fortasse non nemo, cur Deus, in novissimo die, igne potius, quam aliquo quovis instrumento usurus sit? *Omnia in sapientia fecisti*. Est enim ignis proprium divinitatis symbolum, siquidem Deus ignis consumens est. Eratque servus ignis certum imperii prognosticum; sic enim Ollivio Tallio infallibile fuit regni augendi augurium; reges quoque Persarum itinera facientes, in signum Majestatis suae ignem ante se portari volebant. Merito igitur Christus Index ignem ante se praere vult, ut omnipotentiam, majestatem et divinitatem suam per illum ostendet, quando omnes eum videbunt venientem in nube, cum potestate magna et majestate. Tametsi enim verum sit, quod, ut S. Bernardus ait, venturus sit in specie et forma hominis; attem magna cum majestate comparabit : *Veniet ut homo, et hoc cum tanta altitudine majestatis et gloria, quod expresse in ejus corpore, non solum justis sed etiam impiis celsitudo majestatis suae mirabiliter refulgebit.* Idem quoque Sanctus, in alio quodam sermone, considerans verba illa : *Sedebit super sedem majestatis suae*, inquit : *Quid enim per hanc sedem nisi majestas quae data est Christo homini, denotatur, de quo Psalmista ait : Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga directionis virga regni tui.* Porro in primo suo in hunc mundo adventu, in specie apparuit humiliter; at vero, secundum ejus adventus magnificens et majestate plenus erit, quia tunc apparuit judicandus, nunc vero judicaturus.

e. — Inter alia elementa, imo inter omnia creata, nihil est cui minor fieri possit resistentia, quodque omnia alia adeo disperdat et consumat, quemadmodum ignis. Sanctus Bonaventura loquens de igne diei extremi inquit : *Ignis maximus praecedet faciem judicis, quia virtute divina non solum ignis qui est in sphaera sua, sed omnes ignes, qui in terra et supra terram sunt, concurrunt ad mundi conflagrationem.* Idem quoque Seraphicus Doctor hunc ignem sequentes quatuor effectus habere dicit, scilicet : *Habebit officium ignis infernalis reprobus puniendo; Purgatorii bonos a venialibus purgando; terrestris, vegetabilia et sensibilia consumendo; ignis elementaris, elementa subtilisando, et ad innovationem disponendo.* Hic tamen ignis electos non tanget, nec

contristabit nec aliquid molestiae infert; ejus figura praecessit in tribus pueris, quos rex Babylonis misit in fornacem ignis, quos non tetigit ignis, sed Chaldaeos combussit.

f. — Hic ignis qui ante ipsum Christum praecedet, et inflammabit in circuitu, sine respectu conditionis aut personarum quoscunque impios incendet. Angeli, tanquam messoris colligent zizania, id est peccatores, in fasciculos, et mittent in ignem. Ubi tunc potentia? Ubi tunc tyranni? Ubi qui opibus, ubi qui in multitudine gloriabantur divitiarum suarum, et Deum contemnebant?

VERSUS 28.

His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra.

His autem fieri incipientibus.

1. — Notandum bene est hic loquendi modus, ut pote sollicitudinis illius indicativus, per quam nos exhortatur, ne tardemus divinum implorare auxilium, nostramque mentem et cor elevare ad Deum, mox ut portenta ista videri coperint. Seneca ait : *Felix sapientia, quae ex aliorum discitur insipientia.* Impii homines tempore justo Noe viventes, tametsi a sancto hoc sene diluvium proximum esse persaepe adviderunt, impenitentes nihilominus persistentes, eidem credere noluerunt, nisi quando aqua, ora eorum obstruens, eos suffocabat; non vero ita faciendum est justis, sed potius, *His fieri incipientibus, respicite, etc.*

Respicite, et levate capita vestra.

2. — Lucas Brugensis dicit, Christum verbis illis alloqui eos, qui post hujus miserabilis vitae aeternas, ad gloriam sunt praedestinati; de illis namque qui tandem e miseris suis evadere sperant dicere solemus, nunc tempus est levandi caput, dum post perperassas tempestates, easque feliciter superatas, assecuti estis securitatis portum. Dionysius Carthusianus ait : *Levate, id est, exhilarate corda vestra.* S. Bonaventura, in *Luc.*, quoque eodem modo exponit, dum ait : *Suscipite et levate capita vestra ex hilaritate cordis, quia cum finitur mundus, ejus amici non estis, prope est redemptio vestra, quam quaesistis.* S. Augustinus, Tr. xix in *Jo.*, differentiam, quae bonos inter et perversos intercedit, assignat, dicens : *Talis apparebit Index, qualis videri possit et ab eis quos coramaturus est, et ab eis quos damnaturus est.* Omnes quidem tubae et divinae vocis sonum auribus percipient, sed cum hac differentia, inquit hic Index apud S. Joannem, v, 28, 29 : *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona egerint, in resurrectionem vitae, qui*

vero mala egerint in resurrectionem judicii. Agnus erit, inquit Villanovanus, conc. I, electis, reprobis ferocissimus leo, tunc apparebit secundum judicandorum conscientiam; iudex, in se unus, varius apparebit, probis agnus, improbis leo.

3. — Interlinearis similitudinem affert ignis, qui idem cum sit, illuminat per splendorem quo coruscet, per fumum vero excoecat; unde super illa Joelis verba : *Et ignem et vaporem fumi*, ita scribit : *Hic ignis in credentibus habet lumen, in incredulis tenebras, quae dicuntur vapor fumi.* In Apocalypsi, iv, 5, dicitur : *De throno procedebant fulmina et tonitrua*, sed pro rebellibus; non vero pro justis et electis, hos enim, ut Apostolus scribit, *Hebr.*, iv, 16, magna cum fiducia ante thronum consistere conspicimus : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* : hoc vero tempus opportunum est, in quo a divina pietate in illa die protegi habebunt necesse. Tyrannus, super haec verba S. Lucae dicit : *Quia dies judicii licet reprobis sit terribilis, tamen electis debet esse consolatio; hinc tunc transferentur ad gratiam.* Idipsum Psalmista dicere voluit, Ps. xiv, 3, quando hisce verbis servos Dei ad non timendum animavit : *Etenim qui sustinent te, non confundentur.* Notandum vero, quod per spiritum propheticum ad illa verba : *Levate capita vestra*, alludat; quia psalmo illi tale donat principium : *Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam, neque irideant me inimici mei; etenim universi qui sustinent te non confundentur; confundantur omnes iniqua agentes.* Irrisio autem de qua Psalmista hic loquitur, relationem dicit, ad textum illum Sapientiae, v, 1, in quo impii se electos, in hac vita, derisionem et subsannationem persecutos fuisse, clare confitentur : *Stabant justi in magna constantia aduersos eos, qui se angustiaverunt; videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in sublatione insperatae salutis, dicentes intra se : Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem inapproprii : Nos insensati vitulum illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Frequenter hqmilian illam S. Greg., xiii in *Ec.*, recitamus, quam habemus de *communis Confessoris non Pontificis*, super illa verba : *Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuelatur a nuptiis.* Venit Dominus, cum ad iudicium perat, tractat de iudicio particulari, quod cum universali connexionem habet, dicente S. Augustino, Ep. lxxx : *Qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur, pulsat vero, cum jam per aegritudinis molestias, mortem vicinam esse designat; cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus; aperire enim iudici pulsanti*

non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat; qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia laetus iudicem susinet, et cum tempus propinque mortis advenit, de gloria retributionis lullarescit. Dionysius Carthusianus verba illa : *Levate capita vestra*, ita exponit : *Corda ad Deum dirigite, in ipsum confidite, atque per spem animas vestras exhilarate.*

4. — Adverendum est insuper, quod sancta mater Ecclesia in Evangelio lecto, simul et eodem tempore signa nobis horrores et benignitatis exhibeat; horrores quidem, illis verbis : *Erunt signa in sole, et luna, et stellis.* Benignitatis autem per illa verba : *Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*; haecque laetitia et consolationis, cum desolatione et tristitia facta inter se commisitio multo magis in Officio Divino elucescit; quod utriusque commixtionem sancta mater nostra ideo, ni fallor, instituit, quia cum ita se res habeat, quod ut S. Augustinus dicit, in *Epistola v ad Rom.* : *Sunt meliores quos dirigit amor, sed plures sunt quos corrigit timor,* ideo Ecclesia fideles ad Salvatoris adventum preparare volens, aliquas animas ad id disponere vult per escam amoris et benignitatis, alias vero per motum tremoris et timoris. Et quidem si Officium Divinum hodiernum consideremus, caelos ex una parte videbimus rorem stillantes : *Rorate caeli desuper;* ex altera vero parte illorum audimus intemperiem summamque perturbationem : *Virutes caelorum movebuntur.* Ex una parte quidem benignissimum nobis influentiam communicans planeta coruscet : *Sidus refulget jam novum, ut tollat omne noxium;* » at vero in charta Evangelica legitur : *Erunt signa in sole, et luna, et stellis.* Ex una parte Salvator nobis exhibetur totus benignus, et ad indulgentiam pronus : *E sursum Agnus mittitur, laxare gratis debitum* : at vero ex altera parte, paulo post, tanquam Index in magifico throno positus, imo tanquam furibundus quidam leo nobis ob oculos ponitur. Ex una parte ad festivandum et gaudendum invitatur : *Jucundare filia Sion, exulta satis filia Jerusalem* : ex altera vero parte lacus auditur : *Arescentibus hominibus praetimore; vocem demus cum lacrymis.* Ex una parte salus mudo promittitur : *Qui condolens interitum mortis perire saeculum, salvasti mundum languidum, donans reus remedium,* » et tamen aliunde desolationes, exterminia et ruinae audiuntur : *in terris pressura gentium;* verumtamen accidia haec tristitia et sinistros casus reprobos quidem terrere, bonos vero inde consolando esse intelligimus : *His fieri incipientibus levate capita vestra.* Dum hi qui innocenter in carceribus constricti jacent, carcerem aperiri audiunt, maxime gaudere

incipiunt, seque relaxandos esse sperant; non vero item rei, hi enim in semetipsis male sibi consci, vel de capitalibus delictis suis convicti, timere et toto corpore contremiscere incipiunt, quia ad patibulum se raptandos esse formidant.

Quoniam appropinquat redemptio vestra.

5. — « Id est, » ut Dionysius Carthusianus, *Enarr. in Ecang.*, ait: « Liberatio ab omnibus adversantibus vite presentis, ac salus perpetua. » Electi in hac vita plangunt, donec dies ista adveniat, tunc vero gaudent et exultant, teste Apostolo, qui, *Rom.*, vii, 23, ait: *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Haymo verba ista exponens, clarius nobis iustorum in illa die gaudium indicat, dum Redemptorem nostrum introducit, intra eosdem alloquentem: « Nolite de mundi a interitu flere, nolite de vobis timere, quia cum « ejus finis venit, quem non amastis, inveniatur « gaudium quod semper quaesistis: In quibus verbis ostenditur, quia electi diem iudicii non tam debent timere, quam optare. » Et quidem valde considerabile hujusce veritatis testimonium in S. Joanne, I Ep., iv, 17, reperitur, ubi dicitur: *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii.* S. Bonaventura, *Serm. 1 de hac Dominica*, Redemptorem nostrum dicere voluisse asserit: « Licet hæc signa nuntia sint dolorum, non tamen terreamini, quoniam vobis « patienter sustinentibus, et finaliter perseverantibus, appropinquat redemptio, non exterminatio. »

Additiones.

a. — *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ostendit hic piissimus Salvator curam et providentiam de suis electis, ita quod nullus eorum peribit, nec desolabitur in illa die. Nam licet in presenti Evangelio ostendat diem iudicii terribilem futurum ipsis peccatoribus, iustis tamen maximam afferet consolationem, ob conscientie securitatem. Secura enim et bona conscientia gaudium parit utile, continuum et stabilem; et quia jubilat ob vivam æternarum gaudiorum spem, consolatur nos in tribulationibus. Non Babylonica, sed Jerusalemiana filia, id est anima justa, ad solemnitatem peragendam invitatur; ab omni namque gaudio alienus est quisquis Deo, et conscientie puritate destitutus vivit; cum e converso, sincerus Dei servus multifariam ad gaudia provocetur: *Jubilo, lætare, exulta;* ut scilicet discamus non unum duntaxat, sed plurima Dei servis suppetere exultandi motiva. Sed causa potissima cur Deo cum lætitia servandum est

ea est, « quia summa præceptorum ejus dilectio « est, et dilectione nihil dulcius. Accedit quod servus « vitus Dei nobis utilis est, non Deo: ut vere dictum « sit: servire Deo regnare est. » Ita Cardinalis Bellarminus, in *Psal.* cxcv, 1, *Servite Domino in lætitia.* Non ad labores, sed ad gaudia atque exultationes invitatur, dum ad Dei famulatum provocatur: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* « Non hic aut ille, » inquit S. Chrysostomus, « sed omnes, qui curis qui doloribus, qui peccatis laboratis; venite ad me, non ut « penas luatis, verum ut dolores peccataque vestra « dissolvantur. »

b. — Fidelis servus et prudens integram habet conscientiam quam variis porro et gloriosis exornantur laudibus interpretes et Doctores sacri. S. Augustinus, *Serm. x ad fratres*, ait: « Hæc est thalamus « Dei et palatium Christi, habitaculum Sancti Spiritus; hæc est thronus Salomonis. » Et paulo post exclamans, subdit: « O conscientia sancta! in terra adhuc est, et in Cælis habitas. » Conscientia pura atque immaculata in luce designatur, siquidem *abiecit opera tenebrarum, et induit arma lucis.* S. Laurentius Justinianus eam vocat purum, limpideum et præclarum speculum. Quod nitidum speculum, ex S. Bernardo, l. de *Cons.* iv, innumerabilia representat bona: « Nemo prorsus explicare potest « quanta bona, quanta charismata spiritualia, et « quot gaudia ex munditia ipsa proveniant. Dat « siquidem pacem, securitatem tribuit, fiduciam « coram Deo præstat, pacatam reddit conscientiam, elevat de terrenis, provehit in caelestia. » S. Augustinus circa hæc verba Psalmistæ: *Et concupiscent rem devorem tuam*, dicit: « Intus pulchram « novit, qui speciem ejus amavit. Que sunt interiora pulchritudinis? Conscientia. Tibi videtur Christus; ibi alloquitur Christus. »

c. — De innocenti conscientia veraciter dici potest: *Benedixisti Domine terram tuam.* S. Bernardus campum sue agrum benedictionis nuncupat eam inquiens: « Conscientia munda est ager « benedictionis, ipsa enim est terra cui benedixit « Dominus. » Quæ cum ipso merito dicitur Jesus discipulis suis: *His fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

d. — Habentibus conscientiam bonam, et non inveniuntibus peccatum, nihil timendum erit in die iudicii. Unde merito respiciendum est nobis sepe ad conscientias nostras; si enim in hac vita, per exactum conscientie examen judicaremus nos ipsos, nulla nobis esset Judicem timendi ratio, quia bonus iudicii universalis exitus, a particulari uniuscujusque dependebit iudicio, quod post singulorum mortem confestim instituitur.

VERSUS 29.

Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam et omnes arbores.

VERSUS 30.

Cum producant jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.

1. — Carthusianus, *Enarr. in Ecang.* Christum hisce verbis secundum usum arborum Palesinæ, locutum fuisse observat, in quo arbores, ob calidiorum climatis illius temperaturam, prius quam in aliis partibus germinabant. Haymo Christum dicere voluisse asserit, quod sicut ex arborum germine approximatio æstatis colligitur, ita quoque ex ruinis et desolationibus mundi vicinum nobis Regnum colorum esse argui possit. « Pulchre regnum Dei « comparatur æstati, quia sicut æstatis tempore, « sol lucidior et splendidior apparet, mundum illum « minat; ita post iudicium omnis fragilitas, omnis « tentatio transiet; et cum Sol justitiæ Dominus « Jesus Christus in claritatis suæ gloria apparuerit, « sanctos majori splendore glorificabit. » Similiter sicut arbores hyberno tempore oculis nostris aridæ, sicca, et infructuose apparent; verno autem tempore revirescunt, suamque in autumno fecunditatem mundo exhibent: « Ita et in præsentia vita, « sancti mortificantes membra sua super terram, « humiles et despecti apparent, dicentes cum Propheta, quia propter te mortificamur tota die, « æstimati sumus sicut oves occisionis; et sicut « appropinquante æstate redivivæ arbores vestintur foliis, decorantur floribus, ornantur fructibus; « ita et in die iudicii sancti de terræ pulvere con-surgentes, induti stolam immortalitatis, jucundi ac floridi apparebunt, dicente Psalmista: *Justus « ac palma florebit.* » De his arboribus Apostolus, *Colos.*, iii, 3, 4, quoque scribit: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: mox autem de spirituali vere subiungit: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

2. — S. Gregorius a Glossa in horum verborum expositione citatus, ait: « Regnum Dei æstati comparat, quia tunc mororis nostri nubila transibunt, et æterni dies vite sub claritate solis fulgebunt, « sicut enim ex fructu arborum vicina æstas « cognoscitur, ita et ex ruina mundi prope esse « cognoscitur regnum Dei. Ex his verbis ostenditur, quia fructus mundi ruina est, ad hoc enim « crescit, ut cadat. »

Additiones.

a. — *Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam et omnes arbores, cum producant jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.* Luc. xxi, 29, 30. Ab

arbore fici ducit similitudinem potius quam ab alia arbore, quia notissimus erat ficus in tota regione Judææ. Deinde cum sit valde suavis et dulcis ad orbis similiter exterminium in parabolam, nimia enim temporalium felicitas, communis exiti quodam est presagium. Sicut et ficulnea sub falsa prosperitatis specie dolores introduxit in mundum, sic mentita felicitas mundi dolores generat et parterit. Item ficus cum sit valde dovens et dulcis, pro secundo, non inepte ad orbis sumitur exterminium in parabolam, siquidem carnis vitium quod fallacem et perniciosam quamdam habet sibi adjunctam dulcedinem, causa est exterminii populorum, et calamitatum publicarum.

b. — Postquam Christus Deus, prævia tremendo iudicio calamitates recensuit, hæc similitudine ficulneæ quam sit timenda felicitas, cum gratis aridat, exponit; utpote quæ maximam, præiudicium, et detrimentum homini adferat. Quapropter citata Evangelii verba, sic opportune S. Gregorius interpretatur. « Sicut ex fructu arboris vicina æstas « cognoscitur, ita ex ruina mundi prope cognoscitur, regnum Dei, et ex hoc ostenditur, quia « fructus mundi ruina est. Ad hoc enim germinat, « ut quæcumque germinæ aluit, cladibus consumatur. » Nimium, cum Deus tibi indulgenter felicitatem committit, campi tibi vernant, florent, autumnant, et florida mundi gratia, quæ cumulatius impleris; scito quod ex flore et fructu arboris agnoscitur vicina æstas, quæ fructus aride torreat. « Ex hoc ostenditur, quia fructus mundi ruina est. « Ad hoc enim germinat, ut quæcumque germinæ « aluit, cladibus consumatur. » Time igitur hanc divini Numinis indulgentiam; time in quæcumque felicitate, quia ruinarum minæ sunt; time semper in negotio salutis tue æternæ. In via enim Dei, nunquam decet esse securum. Audi vocem Apostoli ad Philippenses, n. 12: *Cum timore et tremore vestram salutem operamini.* Tametsi æternam veritatem de persona sua pronuntiasset sciret: *Vas electionis est mihi iste, non tamen de salute sua timere desist.* Unde protestabatur: *Castigo corpus meum, et in servitute redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* S. Hieronymus Salvinæ scripsit: « Si ille timet, quis nostrum poterit esse securus? »

c. — Hæc tamen referenda sunt S. Augustini verba in textu Apostoli: *Cum timore et tremore, etc.* « Ne illud tibi timorem incutiat quod dixi: Cum « timore et tremore; non enim ideo dixi ut des-peres, ut vitatorem rem hujusmodi esse putes « quam consequi nullo pacto queat; sed ut mentem « adhibeas, nec te ipsum remittas et quasi falsas. « Si hoc attuleris, Deus omnia operabitur. Tu confidito, Deus enim est qui operatur in nobis; ergo « si ipse operatur, nos voluntatem suam penitus « obsecundantem, non remissam, sed contentam « atque in se collectam exhibeamus, oportet. »

VERSUS 31.

Cælum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.

1. — Quomam modo mundus defecturus sit, Cælestas nobis hisce verbis declarat: « Non secum dum substantiam, sed cælum a statu motus quem nunc habet et terra a statu generationis, quo nunc profert vegetabilia. »

2. — S. Bonaventura super hæc verba scribens, salutare nobis monitum tradit, dicens: « Qui vult æternaliter manere, oportet quod transitoris non immoretur, sed potius deserendo transitoria per divina verba transeat ab æterna. » Etenim præter Deum nihil est, quod non deficiat, et ideo si mundo inanimatum, valde decipimur, quia tandem deficiet. *Qui appendit terram super nihilum*, Job, xxvi, 7; ecce quali basi fundamenta ejus iniantur? Cælos pariter Deus defecturus esse pronuntiat, si cælum beatorum, propter quod velut finem creati sumus, excipias, de hoc enim dicitur, Matt., xxv, 31: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Haymo dicit: « Nihil in rebus visibilibus cælo et terra durabilius, nihil in rebus humanis velocius quam verba transeunt; quia nec perfici nisi transeundo possunt. Cum ergo Dominus dicit: « Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt, ostendit, quia quæ apud nos fixa videntur, apud illum transitoria sunt, et quæ apud nos transitoria videntur, in ejus verbis firma et stabilia sunt, quia firmas et permanentes sententias firmat ejus sermo, dum transit. » Porro ex Cathedra Petri pronuntiata et dictata veritas hæc est: *Omnis caro, fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni, cæsarum fœnum et flos ejus decidit, verbum autem Domini manet in æternum; hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos*. I Pet., I, 24, 25.

Additiones.

a. — *Cælum et terra transibunt*, etc. Summa Creatoris providentia fuit, quod bonis hujus mundi esse quoddam habile, transitorium et volubile imperitius fuerit, ut cor hominis tanto magis bonis supernis intentum esset, utpote quæ stabilia sunt et permanentia: *Mundus autem transit et concupiscentia ejus*, ut S. Joannes inquit, et ut S. Paulus ait: *Præterit figura hujus mundi*. Ac si aperte diceret ut scribit S. Anselmus: « Nolite constanter mundum diligere, quando ipse non potest, quem diligitis » stare. Incensum cor quasi manentes figitis, dum fugiti ipse quem amatis. Mundus transit quo univèrsa clauduntur, imo figura et conversatio hæc mundi quasi nubes præterit. » Dionysius Carthusianus, in opere de *arcta via salutis*, hæc quoque honorum temporalium velocem volubilitatem con-

siderans ait: « In hoc innotescit vanitas mundi, quod prosperitas et lætitia ejus cum ingenti aviditate expectatur; et cum venerit teneri non potest, sed transeunt omnia et evolant. »

b. — Philo Hebræus Deum incommutabilem esse probare volens, de rerum humanarum mutabilitate in hæc verba discurrere incipit: « Nihil est in humanis rebus ac negotiis, præter umbram, auramque levissimam sine mora prætervolantem. » Unde lascivi illi, qui laxatis habenis voluptatibus operam dederunt, lamentantur dicentes: *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra*. Sap., v, 9.

c. — Licet tamen hominibus bona hujus mundi amare, sed ea lege, ut illa Deo non anteponamus, qui illa creavit; sed ut per ea in notitiam Dei venientes, illum amemus. Unde S. Augustinus in Epistola ad Honoratum ait: « Potest anima rationalis etiam temporalis et corporalis felicitate bene uti, si non se dederit creaturae, Creatori neglecto, sed eam potius felicitatem fecerit servire Creatori, qui ipsam suæ bonitatis abundantissima largitate donavit. Sicut enim bona sunt omnia, quæ creavit Deus, ab ipsa rationali creatura usque ad infimum corpus; ita bene agit in his anima rationalis, si ordinem servet, et distinguendo, eligendo, pendendo, subdat minora majoribus, corporalia spiritalibus, inferiora superioribus temporalia semperternis, ne superiorum neglecta et appetitu (quoniam hinc fit ipsa deterior) et se inferiorum et corpus suum mittat in pejus, sed potius ordinata charitate, se et corpus suum convertat in melius. »

d. — Deus ipse qui prima et infallibilis veritas est, in hæc se verba semel declaravit: *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Hæc quoque verborum suorum infallibilitate supposita, unicuique qui se salvare et in æternæ prædestinationis librum inscribi desiderat, quid sibi ad hunc effectum consequendum facto opus sit, ore proprio expressit dicens: *Si vis ad vitam ingredi, serca mandata*. Ac proinde unusquisque nostrum, qui pro sua salute sollicitus est, ad ultimum usque vite spiritum mandata Dei et Ecclesie diligenter observet; sic enim securus de salute sua erit, nec habebit quidquam quod ab ipso timeri possit.

e. — Quando in die Judicii, omnes destruantur facultates, siquidem, *Cælum et terra transibunt*, cunctæ domus desolabuntur, comburentur omnes vineæ et sylvæ, deficietque quidquid in terra possidimus, Judex supremus in conspectu totius nature tam humane quam angelicæ, reserabit, et in conspectu omnium in medium adducet spectandum illam veslem, seu chlamydem, quam huic vel illi pauperi dedisti, spectandum exhibebit illi qui pauperi frustulum, licet jam a mendico masticatum et

devoratum. Unde merito Ecclesiasticus xxxi, 11, de Domino, et *elemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia* homine justo ait: *Stabilita sunt bona illius in sanctorum*.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XI, VERS. 2

2. Joannes cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: 3. Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
4. Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, et vidistis.
5. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.
6. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.
7. Illis autem abeuntibus, cepit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?
8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.
9. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam.
10. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te.

Versus 2.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi.

Joannes cum audisset.

1. — Sciendum est, quod S. Lucas, cap. vii, styllum historie et tempus, quo singula quæque, quæ in Evangelio narrantur acciderunt, prosequens, singularium quorundam a Christo patrorum miraculorum notitiam nobis communicat, qualia erant mandato leprosi, servi Centurionis sanatio, resuscitatio filii viduæ Nainiticæ, etc. Tandem vero, cum per horum prodigiorum famam populum ad stuporem commovisset, qui propterea et gloriosam hanc acclamationem fecit: *Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam*; jamque hæc eadem fama ad aures pervenisset S. Joannis, ob Herodem prærehensum in carcere vincti, idem sanctissimus Præcursor, ut discipulos suos cum potius, quam Christum Messiam esse existimantes, ab hoc errore liberaret: *Exiit hæc sermo per universam Judæam*, inquit S. Lucas, vii, 17, *de eo, et in omnem circa regionem, et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus*, optimam id faciendi occasionem habere presentem, eosdem ad Christum ablegavit, eo vel maxime, quia illos nimia erga se passione affectos moveri, Christo autem invidere videbat, eo quod majorem populum Christo quam Joanni Baptiste, ejus ipsi

discipuli erant, adhærere tolerare non poterant, ut hæc ratione uno eodemque tempore illos et a spirituali infirmitate liberaret, et veritatem pariter altissimi illius mysterii, quale erat Filii Dei, et promissi Messie incarnatio, eisdem manifestaret.

In vinculis opera Christi.

2. — Joannes quia Herodem hisce verbis corripuerat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, carceris vinculis irretitus jacebat. Porro Seneca de Magnatibus ait: « Monstrabo tibi, cujus rei inopia laborent etiam magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet illis qui verum dicat. » Quia tamen hoc non obstante Baptista illi, qui in cæstus sui factore universam Judæam scandalizabat, et inflicebat, veritatem libere dixerat, ecce tibi remunerationem, quam inde innocens reportat. Porro adulatorum ad Principum curias liberum aditum habent, libenterque audiuntur, et placent, Evangelii autem prædicatores non item: illi beneficiis cumulantur, hi vero pessime exagitantur. Enimvero Joannis quidem corpus vinculis adstrictum erat, non vero item animus, siquidem vera filiorum Dei libertate gaudebat, ubi spiritus Domini, tibi libertas, II Cor., iii, 17, animoque suo generoso et intrepido, et heroica virtute quæ sacrilegum illum Regem reprehendere non dubitabat, verissimum esse ostendit, quod S. Paulus postea scripsit, II Tim., ii, 9-10: *Secundum Evangelium meum, in quo labore usque ad*